DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CHOREA.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CHOREA.

AUCTORE

GULIELMO ROBERTSON, Scoto.

ACADEMIA REGIMONTANA Proxime

DISSERTATIONEM MEDICAM

INAUGURALEM

Pro GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE AC RECTE CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

GULIELMUS ROBERTSON, A.M.

SOCIUS REGIUS PRAESES ANNOSUS

SOCIUS REGIUS PRAESES ANNOSUS

NECNON

SOCIUS MED. EDIN. PRAESES ANNOSUS.

Ad diem 24. Junii. Horis locoque solitis.

EDINBURGI:

EX OFFICINA BALFOUR,

TYPIS CUDEBAT M. DCC XCIII.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE CHOREA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti,

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

JOANNES BUTT SALT,

ANGLUS.

SOC. MED. EDIN. PRÆSES ANNUUS;

SOC. NAT. STUD. EDIN. PRÆSIDARIUS;

NECNON

LYC. MED. LOND. SOCIUS.

Ad diem 24. Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO.

TYPIS GULIELMI CREECH.

M DCC XCIII.

AVUNCULO SUO DILECTO,

VIRO ADMODUM REVERENDO

GEORGIO BUTT,

REGI A SACRIS,

JUVENTUTIS SUÆ PRÆSIDIO, ATQUE DUCI

PERITO, BENEVOLO, FIDELI,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

ANIMI GRATI MONUMENTUM,

CONSECRAT

JOANNES BUTT SALT.

Dr Thurston

with best compts

from the Author

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CHOREA.

AUCTORE JOANNE BUTT SALT.

INTER recentiores medicos, morbum, cui inditum eſt nomen, *Chorea*, primus accuratè deſcripſit clariſſimus SYDENHAM. Ipſam hanc affectionem morbidam etiam antiquis notam fuiſſe, minimè quidem denegandum eſt.

Dum verò, labente imperio ROMANO, caliganteque paulatim humano genere, medicina cum omnibus aliis ſcientiis non ſolùm vacilla-

bat, ſed potius jacebat inculta, ſqualore verborum obſita, et inanibus opinionibus deformis; hic morbus vel ſub eodem, quo ſpaſtici alii morbi quibus ſæpius afficerentur homines, nomine perperam comprehenſus eſt; vel pro motibus perridiculis, quibus enormiter agitabantur fanatici, qui ex prava religione inſanientes mentibuſque attoniti, præſens perſentire ſibi videbantur numen, inſcienter habitus.

Quin is morbus, cui a GALENO inditum eſt nomen, *Scelotyrbe* *, idem ſit, ac is quem, *Choream Sancti Viti* appellavit SYDENHAM †, vix, me ſaltem judice, dubitari poteſt. Notae enim, quibus inſigniuntur, ferè prorſus eaedem ſunt; et, inſuper, illud nomen, quippe cùm ex σκελος *crus*, et τυρβη *tumultus*, componatur, motus enormes, quibus choreâ correpti

* Vide Notam A.

† *Proceſ. integr.*

repti huc illuc agitantur, aptè et luculenter exprimit.

Poſt ſæculum, quo florebat GALENUS, Sceloryrbe, et Chorea Sancti Viti ſtrictiùs dicta*, pro uno eodemque morbo habita ſunt; neque, quantùm colligi poſſit ex deſcriptionibus opinionibuſque, quas poſteris tradiderunt auctores, qui tum clarebant, aliud eſt hic morbus, niſi fanaticus furor†.

Rem ita, ut conjeci, ſe utique habere veriſimile reddunt ea, quae obſervavit GREGORIUS HORSTIUS, auctor, qui initio proximi ſæculi ſcripſit; quique, ſimulato planè morbo ſaltatorio priùs deſcripto, exemplum enarrat, quod illi ejuſdem eſſe generis viſum eſt, ſed

* Seu *Vitiſta*, ſeu *Laſcivo* PARACELSI.—SAUVAGES *Tarantiſmus enteneaſmus.*

† Vide Notam B.

ſed cui cum Scelotyrbe GALENI perfecta ferè ſimilitudo intercedit*.

Hanc rem tenebris, quibus involuta eſt, princeps expedivit SYDENHAM. Morbo enim, quem notaverat GALENUS, accuratè deſcripto, ei nomen, *Choream Sancti Viti*, indidit. De hoc quoque morbo multa digna, quae perlegantur, obſervata poſtea habuerunt MEAD, CHEYNE, SAUVAGES, STOLL, BISSET, CULLEN, aliique praeclari medici †.

Definitio.—Morbus, de quo hìc diſputare nobis

* G. HORSTII *Oper. Omn. tom.* ii. *pag.* 119.

† Vide MEAD *Monita et Praecepta Medica, et*
—— *de imper. Sol et Lun.*
CHEYNE's *Eſſay on Gout.*
SAUVAGES *Noſolog. Method.* claſs. iv. gen. xxi.
STOLL *Rat. Med tom.* iii.
BISSET's *Medical Eſſays, &c.*
CULLEN's *Firſt Lines*, vol. iii. chap. 3d.

nobis in animo eſt, a CULLENO his verbis definitur.

CHOREA.

" Impuberes utriuſque ſexus, ut plurimùm
" intra decimum, et decimum quartum aetatis
" annum adorientes, motus convulſivi ex par-
" te voluntarii, plerumque alterius lateris, in
" brachiorum et manuum motu, histrionum
" geſticulationes referentes; in greſſu, pedem
" alterum ſaepius trahentes, quàm attollen-
" tes *."

Haec profectò definitio eſt hujus morbi hiſtoria, quam poſteris tradidit SYDENHAM, tantummodo in compendium collata. Signis tamen, quae in ea recenſentur, cognitis memoriaque tentis, hunc caeteris ſpaſticis morbum clarè promptèque dignoſcere poſſimus.

Hiſtoria.

* *Noſol. Method.* claſs. ii. gen. 51.

Hiſtoria.—Choream incipientem plerumque inſigniunt extrema et ſuperiora et inferiora, ferè unius autem lateris, debilia et laxa. Nonnunquam verò aequè afficiuntur extrema omnia. Motus, quos concitat voluntas, ſolitò citiùs et quaſi aſſultim raptimve perficiuntur*. Hujuſcemodi motus minimè inuſitati ſunt debilibus, iiſque, qui hyſteriâ, vel febribus quibus ſit typus *typhoideus*, langueſcunt. Voluntas fibram motricem concitandi vim etiamnum retinet, et motum equidem in finem propoſitum quadantenus dirigendi; ſed, qua movere opus ſit rapiditate, eam utique aeſtimare nequit.———Haud multò pòſt voluntati adhuc minùs obtemperant muſculi. Quod movendum aeger velit membrum, id ſubitò et enormiter huc illuc trahitur; neque aut manus aut pes, niſi aegerrimè, et multis periculis incaſſùm factis, quò velit dirigi

* Vide STOLL. *Rat. Med. tom.* iii. Pag. 403.

rigi poteſt. Quam ob rem, ori aliquid rectà apportare nequit; et, inter ambulandum, vacillat, titubatque.——Quinetiam, hoc tempore, muſculis ſemet, invito aegro, contrahentibus, viciſſimque relaxantibus, membra, huc illuc perpetim moventur. Muſculorum autem contractiones non ſemper aequè validae ſunt: modò enim leves ſunt; modò adeo valentes, ut, quae moveant membra, ea contiguis corporibus duris, nolente aegro, impacta contundantur et vulnerentur *. Nihilò verò minùs adſtantibus apparent plerumque voluntariae potius et ſimulatae, atque profectò haud rarò ipſe aeger obſequendo graviores reddit; enormibus, uti videtur, delectatus motibus, qui cum admiratione obtuentes defigant. Uni autem puellae mentis integrae, quam obſervandi mihi oblata eſt occaſio, tantae moleſtiae erant motus, ut incolumi

* Vide *Journal de Medicine*, Aout 1781.

mi alteram desultoriam manu continuò cohiberet.

Si manus malè affecta alicui corporis parti pauliſper, vi quadam adhibita, imponatur, eadem, recepta libertate, iſthinc illicò movetur; et, ab integro, plerumque alterum latus verſus ſubſultat.

Haud rarò membrum alterutrum inferius, ex tranſverſo, in latus non ſuum ſubſultim agitatur, et pubis quidem regionem premit. Quinetiam, inter ambulandum, vel enormiter movetur, vel ponè trahitur; adeo ut, potiſſimùm cum validiores ſint motus, aeger videatur quaſi tripudiare.

Si levis ſit morbus, neque diſtorſiones, neque motus ulli deformes, faciem depravant: ſin gravior; labia, et partes ori vicinae, deformiter moventur, aut equidem convelluntur, ita ut *riſum Sardonicum* aliquatenus exhibeant. Licèt autem hujusmodi riſus, quippe quia mentis inopes tam ſaepe inſignit,

ſignit, fatuitatis ſpeciem prae ſe ferat, attamen choreâ correpti, quamvis fatuè utique rideant, mentem nihilominus identidem retinent ſanam et integram *. Verùm enimvero rarò tantùm officitur mentis lumen, quantùm vultus indicat. Interdum, potiſſimùm cùm gravior eſt morbus, maxilla inferior ſpaſmo quaſi *tonico* ſurſum validè trahitur; atque haud leviter ſtridunt dentes. Graviſſima ſunt ſigna haec omnia, cùm aeger loqui conatur. Quod ad loquelam attinet, aeger rarò voces articulatè efferre poteſt: immo ſaepe adeo indiſpoſitè effert et titubanter, ut, quid dicat, intelligenter audire adſtantes nequeant.

Convulſionibus modò hìc, modò illic, truncus corporis interdum afficitur; modò brachia, modò una ex parte collum, rigiditate ſpaſtica †.

* Vide *Journal de Medicine*, loc. citat.

† De Haen *Rat. Medend.* tom. i.
Sauvages loc. citat.

Quibuſdam aegris, inter ſomnum, conſopiuntur motus* ; aliis, ſomno haud divulſo, perſtant. Saeviente autem morbo, ſomnus ſubinde divellitur; graviaque ſuſpiria imo ex pectore ducit aeger †. Interdum, quamvis rariùs, ſomnus ex toto abeſt ‡.

Quinetiam corpus univerſum langueſcit, et debile fit; impaleſcit facies; hebeſcunt oculi; frigeſcit cutis, haud ita ſolita; molleſcunt muſculi, et flacceſcunt; et membra, longiuſcula quaſi facta, mole multùm minuuntur.

Qui externi vocantur ſenſus, ii haud multùm, ſi omnino, utique hebeſcere videntur; multùm autem ſaepe vacillat intellectus; atque aeger, haud ſecus ac uno latere attonitis frequenter accidit, aliqua ex parte fatuus eſt.

Rarò

* Stoll loc. citat.

† *Medical Commentaries*, vol. ii. decad. 2.

‡ Stoll loc. cit.

Rarò equidem, ineunte morbo, fatuitas adeſt; ſed plerumque, interpoſito tempore, ſeriùs ociùs ſupervenit. Verùm enimvero, ſi levis ſit morbus, aeger mente neutiquam captus eſt. ——Motus enormes partis affectae debilitati, et non voluntati ſe malè habenti, attribuendos eſſe, ſatis eò apparet; quòd, aegro volente, membra integra compoſitè, ut naturaliter oportet, et conſtanter utique moveantur.

Plerumque concidunt arteriæ, et inaequaliter micant; anima, ut a ſano, reciprocatur; et, functionibus naturalibus parùm laeſis, cibos probè appetit aeger, devoratoſque concoquit.

Rarò de moleſto ullo ſenſu invalidus conqueritur. Nonnunquam quidem dolorem leviſſimum, haud ſecus ac ſi membra leviter vel pungeret vel ureret aliquid, ſentit: interdum quoque vertigine, anxietate, praecordiis gravatis, lingua ſordidula, aliiſque demum cibi inconfecti ſignis, aliquatenus afficitur.

citur. Verùm haec tamen ſigna toties tantummodo adeſſe, quoties morbo occaſionem dederint ventriculus et inteſtina vermibus hoſpitantibus foedata vel alicunde malè affecta, veriſimillimum eſt *.

Chorea, haud ſecus ac alii morbi ſpaſtici, ſubinde ingraveſcit; ſed, utrùm, interjectis ſtatutis intervallis, recrudeſcat, necne, vel, ut in morbo comitiali et *Hyſteria*, intercedat integritas, dubius haereo. Nunquam enim exemplum, quale e Deiderio citavit Sauvages, perquirendo comperiri poſſe mihi confitendum eſt †.

Quem ſemel affecerit chorea, ad eundem, oblata occaſione, iterum iterumque inſiliendum propenſa eſt. Adoritur, prae caeteris, impuberes: poſt pubertatem, plerumque evaneſcit.

* Stoll loc. citat.

† Sauvages loc. citat.

neſcit. Interdum verò multò diutius permanet; aut equidem, dum vivitur, perſtat, imbecillitatem ei, quae paralyticis ineſt, ſimilem, et mentem prorſus fatuam efficiens. Ad hoc, interdum in demiſſum animum degenerare, interdum in morbum comitialem dicitur.—A WRIGHT *, medico BRISTOLIENSI, enarratur exemplum cujusdam, qui, haud multò poſt choream, ut viſum eſt, *zinco* fugatam, hydrocephalo mortuus eſt. In hoc exemplo, fabrica cerebri, aliquo modo laeſa, erat fortaſſe et choreae, et hydrocephali cauſa efficiens; cùm praeſertim, ex hoc organo malè ſe habente, varia deinceps ſigna enaſcantur.

Verno potiſſimùm tempore homines chorea primùm adoriri dicitur; vel, ſublata, redire†. Quin et, GREGORY ſecundus, EDINBURGENUS,

* Vid. *Memoirs of the Medical Society of London*, vol. iii.

† BISSET loc citat.

nus, in praelectionibus certiores quotannis audientes facit, Scotos ratius cum hoc morbo, saepius Anglos conflictari. Huc accedat, quòd in foeminas profectò, quàm in viros, impetum frequentiùs facit; in eas praecipuè, quibus debiliora sunt corpora delicatioraque, solida simplicia laxa, genus nervosum irritabile. Qui, demum, hoc morbo afficiuntur, ii quidem initio interdum pleni sunt.

Prognosis.—Ex suprà de hoc morbo dictis constat, bona plerumque a medico auguranda esse, si impuberes afficiat; si aetate provectiores, mala.

In sanitatem inclinare indicant motus rariores, voluntatique parentiores; validiores partium affectarum musculi; et refectus universi corporis vigor.

Causae.—Ex praecipuis temperamenti corporisque habitudinis signis, ex sexu et aeta-

te

te eorum, qui, prae caeteris, huic morbo patent, cauſam, quae corpus humanum in hunc pronum reddit, in *nervoſi generis* debilitate et mobilitate, maxima ex parte, ponendam eſſe, apparet. Verùm de hoc tamen morbo, cum ſaepenumero nulla, unde efficiatur, cauſa appareat, aequè, ac de quibuſdam aliis, concludere liceat, ſpecialem corporis habitudinem, ſi inveteraverit, eò interdum uſque invalere, " Ut ſola, nulla adjecta cauſa exci-" tante, juſtum, et manifeſtum morbum fa-" ciat, vel, ut quidam loqui amant, cauſa " quoque excitans fiat *."

Etiamſi autem ita ſit, at haud tamen rarò aliae cauſae, quae idoneam morbo offerant occaſionem, conſpici poſſunt. Hujuſcemodi, ut equidem praejudicare aut praenoſcere poſſumus, ſemper ſunt res quaedam, quae cerebrum vel debilitant, vel aliquo modo laedunt.

Tales

* Gregory *Conſpect. Med. Theor.* tom. i. pag. 25.

Tales ſunt, quaecunque cerebrum ita vel rectà, vel aliorum vitalium, ventriculi nimirum et inteſtinorum, interventu afficiant. Huc ſpectant,

Motus, qui, veluti timor, animum demittunt *.

Ebrioſitas †.

Vermes primas vias foedantes ‡.

Prava ingeſtorum concoctio; quae, in inteſtinis, ſtagnandi et corrumpendi occaſionem ſive ſecretis liquoribus, ſive ingeſtis cibis, praebet §:

Papulae, ne in cutem efflioreſcant, intempeſtivè et imprudenter impeditae ‖:

Dentiendi

* Stoll *Rat. Med.* tom. iii. pag. 403.
Home's *Clinical Experiments*, &c. pag. 189.

† Duncan's *Medical Caſes*, &c. pag. 266.

‡ Stoll tom. cit. pag. 404.
Comment. de Rebus, &c. Lips. tom. iii. pag. 456.

§ Cartheuser *Fundam. Pathol.* tom. i. chap. xiv. etiam Stoll. loc cit.

‖ Bisset, &c.

Dentiendi demum difficultas;

Qua interdum effici choream, Monro praeclarus exiſtimat. Si ita ſit, infantes, cùm iterum dentiunt, in hunc morbum ſaepius fortaſſe idcirco incident, quòd, hoc tempore, quàm antea, eidem magis obnoxii videantur. In ſuis praelectionibus puellulam novem annorum memoratam habet, cujus unum latus, altero interea incolumi, chorea affectum eſt. Ore interno inſpecto, tres dentes molares, una ex parte, ſibi, per gingivas tumidas, viam magno molimento facere apparuit. Dentibus laborantibus quàm maturrimè ſubventum eſt; et, gingivis ſcalpello inciſis, chorea fugata eſt. Verùm haud multò pòſt, oblata occaſione, impetum redintegravit. Ore iterum inſpecto, tres altera ex parte molares, per obſtantes gingivas, iterum perrumpere viſi ſunt: ſed, chirurgo cum ſcalpro, ut antè, ſubveniente, per oppoſitas moles proruperunt, et brevì pòſt evanuit chorea, nunquam reditura.

Chorea modò dicta, et ea quae pueros verminantes afficit, quanta ei cum morbo ſacro intercedat ſimilitudo, quàm luculentiſſimè oſtendunt.

Cùm, ob conſortium quod cerebro eſt cum aliis partibus corporis, caput, partibus quibuſdam alibi laborantibus, laboret; minimè profectò eſt dubitandum, quin cauſa excitans quàm primùm ſit ſubmovenda.

Forſan hìc etiam addenda eſt membrorum ipſorum affectio, ut Rheumatiſmus. In uno exemplo, quod enarravit STOLL, nonnihil rheumatiſmi choreae conſociatum eſt*. In altero, quod obſervandi mihimetipſi oblata eſt occaſio, rheumatiſmus choream praegreſſus eſt; et, etiam dum haec ſubſtabat, manus et pes lateris laborantis ſunt aliquando rubore et dolore affecta. Fibrarum muſculoſarum debilitas, et equidem paralyſis, quae rheumatiſmo

* Vide etiam SAUVAG. *Noſol.* tom. i. pag. 591.

rheumatiſmo aut adſunt nonnunquam, aut ſuperveniunt, nos, ut hunc morbum interdum vel unà cum chorea conſociari, vel eidem jam inclinanti ſaltem ſubvenire, veriſimile eſſe crederemus, adducerent *.

Cauſis jam recenſitis annumerari utique poſſint multae aliae, quae choream interdum, fortaſſe, concitent; ſed, cùm electè et compreſſè, quàm permiſtim et latè diſputare malimus, eas tantummodo recenſuimus, quas illam concitaviſſe ex experientia et obſervatione conſtat.

Aſſeruit equidem CARTHEUSER, ex utero morbido choream nonnunquam oriri; ſed, quare ita opinaretur, dicere non dignatus eſt. Contra illius opinationem dici poteſt, eo, quo chorea ſaepiſſimè incidit, tempore, uterum, nondum perfectè evolutum, ſpeciali ea in corpus

* Vid. ut ſupra.

pus universum vi minimè pollere, quam postea possideat.

De Morbi Natura.—Ex opinionibus, quae de chorea prolatae sunt, tres tantummodo dignae sunt, ad quas animum advertamus. A nonnullis praeclaris auctoribus habita est,

I. Pro specie convulsionis; ab aliis,

II. Pro nervorum resolutione; ab aliis, demum,

III. Pro affectione ex his utrisque composita.

Ex his opinionibus, prima SYDENHAM arrisit; in quam postea inivit CULLEN, aliique medici non pauci, qui ad morbos ordinandos tractandosque animum intenderunt.

Secundam propugnârunt MEAD, DOVER*, et

* *Old Physician's Legacy.*

et fortaſſe quidem CHEYNE: proximus verò adeo, de hac re, perturbatè locutus eſt, ut, quid ſibi velit, accuratè ſcire, ſit in primis arduum. Per verba, "*relaxed nerves*," nihil forſitan aliud, niſi meram debilitatem, intellexit.

Tertiam luculenter expoſuit GREGORY, in ejus de medicina practica praelectionibus.

Omiſſis hac de re diſputationibus, quippe quae taedium parerent, neque prodeſſent, nos, ex ſignis probè perpenſis, adduci, ut veram eſſe opinionem proximam exiſtimemus, confitemur. Cùm res ita ſit, quibus ſignis chorea, ex hac parte, paralyſin referat; ex illa, convulſionem, quàm pauciſſimis memorabimus.

Choreae cum convulſione eſſe ſimilitudinem, ſatis ex eo conſtat; quòd membra, etiamſi plerumque, volente aegro, moveri quidem videantur, atque eorum motus tremores *, et celeres motus qui ex debilitate pendeant, magis utique

* Vide Notam C.

que referant, quàm contractiones validas et involuntarias, tamen, id quod docent motus eorum violentiſſimi et nonnunquam per ſomnum perſtantes, profectò, invito quidem aegro, haud rarò agitantur. Praeterea non eſt dubitandum, quin motus, quibus torquetur facies, interdum ſpaſtici ſint. Quoties ita eſt, os, aliter ac in paralyſi accidit, latus affectum verſus trahitur.

Choreae cum paralyſi intercedere ſimilitudinem, eo apparet, quòd in illa, ut in hac, muſculi flacceſcunt, et debiles evadunt; quòd plerumque unum tantummodo latus, idque ut De Haen videtur, ſiniſtrum laborat*; et, denique, quòd amentia choreâ affectorum, fatuitatem *hemiplegiâ* laborantes ſaepe afficientem multùm refert.

Aliae multae morbidae affectiones oſtendunt, haud multùm intereſſe inter eam cere-

bri

* *Ration. Medendi*, tom. i. pag. 53.

bri habitudinem, unde nervorum reſolutio pendeat, et eam, unde convulſiones. *Apoplexiâ* attoniti ſaepius, ex hoc latere, illico motûs expertes fiunt; ex illo, priùs convelluntur*.——Nervis reſoluti, etiam, ex uno latere, ſentiendi et movendi impotentes fiunt; dum convelluntur, ex altero. Cadaveribus inciſis, conſtat, a quocunque latere reſolvantur nervi, ab adverſo, ut reapſe praenoſci poſſit, malè ſe habere cerebrum †.

Canes, cerebris a MURRAY denudatis et laceratis, primùm convulſi ſunt, et dein attoniti ‡.

Intereſt autem inter has affectiones, et ſpaſmum qualem reſoluti nervi ſaepius efficiant;

* Vide BURSER *Inſt. Med. Pract.*

† Vide MORGAGNI *de Sedibus Cauſiſque Morb.* cap. x.

‡ A. I. G. MURRAY, GOTTING. *Comment. de Redintegrat. Part. Anim. Corp.* &c.

ant; ſpaſmum, nempe, *tonicum*, qualis alterutri faciei parti accidat, ſiquando muſculi ſibi invicem adverſantes non aequè polleant.

Obſervandum hic generatim eſt, *tonicos*, quibus afficiatur totum corpus, ſpaſmos, nunquam ſoporem, *vel ſenſuum feriationem* ſecum afferre: unde adductus ſum, ut credam, quoties agitetur aliquis *clonicis* ſpaſmis, cerebrum potiſſimùm affici; quoties *tonicis* rigeat, muſculorum fibras.

Convulſio, cui cum chorea eſt maxima ſimilitudo, eſt morbus comitialis. Eam profectò eſſe hujus gradum, tantummodo leviorem pertinacioremque, nonnulli opinati ſunt; eique nomen, *epilepſiam gyratoriam*, indiderunt. Morbus comitialis eſt reipſà miſcellus ex *apoplexia*, ſummo utique nervorum reſolutionis gradu, et convulſionibus compoſitus. Rem ita eſſe conſtat, cùm ex ſopore, quo, impetu finito, aeger afficitur; tum ex ſenſuum vacatione, et

ſemet

ſemet ad libitum movendi impotentia, quae, impetu praeſente, eum occupant.

Praeter jam enumerata, quaedam exempla minus uſitata enarrari poſſent, ubi, ut in chorea accidit, in ſpaſmum proclivitati nervorum reſolutio conſociata eſt. Sequentia, quippe cùm hujuſmodi ſint, ex SAUVAGES et CAMPER, citare nobis liceat.

" Virum novi,—poſt convulſivos habitus, " laboreſque aſſiduos eò redactum;—ut, ex- " acta in laborioſo magiſtratu aetate; hic, " aptequam cujuſvis muſculi poſſit motum " in fines propoſitos determinare, tremore u- " niverſali corripitur, qui in parte mota ad " uſque convulſionem progreditur; nec abeſt " aut oris deformis *tortura*, aut maxillae *mo-* " *titatio*, unde blaeſus balbuſque incautis, et " ridiculus pueris videatur*."

" Adoleſcens infra ſeptum, ut cum CELSO

 " loquar,

* *Noſolog.* tom. i. pag. 791.

" loquar, paralyticus ita, ut non ſolum mo-
" tum, ſed ſenſum utriuſque pedis amiſerit;
" ſaepiſſime terribiles patiebatur convulſio-
" nes, in iiſdem partibus, quas movere non
" modò, ſed ne ſentire quidem poterat *."

Ratio Medendi.—Duas choreae *idiopathicae* medendi rationes, inter ſe autem haud parum diſcrepantes, medici propoſuerunt et proſecuti ſunt. Has utraſque quàm pauciſſimis exponere, et quae utrique propria ſint commoda ſtatuere, nunc aggrediar.

Harum, quae SYDENHAM placuit, ea prima eſt. Praeclarus hic auctor ſanguinem ſemel, iterumque ubertim mittendum ſuadebat; medicamentis interim, ex iis quae alvum movent, identidem adhibitis.

SYDENHAM hoc modo morbum curaſſe, ex ipſius verbis conſtat. Et profectò confitendum,

* CAMPER *de Muſculis.*

dum, maximam obſervantiam et non parum quidem reverentiae auctori adhibenda eſſe, qui naturae res perlegit, et propria experientia ſapuit. Nihilò tamen minùs in hoc morbo ſunt multa, cur, utrùm, quae praeceperit, ea facienda ſint, necne, in dubio verſemur.

Minimè quidem denegandum eſt, quin, dum ubique de medicina practica alioquin rectiſſimè ab eo praecipitur, eliciendum ſanguinem cupidiùs ſuadeat. Eſt autem hìc obſervandum morem, ſanguinem, quò praecaverentur morbi, detrahendi, qui, florente SYDENHAM, in BRITANNIA invalebat, etiamnumque Continente EUROPAE invalet, effeciſſe, ut, in plurimis morbis, ſanguinem, quàm nunc dierum, uberiùs ſaepiuſque elicere neceſſarium eſſet. Ad hoc, in memoria SYDENHAM opera perlegenti ſemper tenendum eſt, eum, ſanguine in morbis debilitate proventibus detracto, anodyna, et medicamenta

ex

ex iis quae vires refocillent, parca haud manu porrigere conſueſſe; hoc modo cauté providentem, ne, latice vitali amiſſo, labaſceret univerſi corporis vigor. Intelligendum denique eſt, diaetam et vivendi rationem noſtratum hodiernorum multò plùs, qùam ea majorum validiorum, ad corpora effaeminanda enervandaque pertinere.

Contra debilitantem choreae medendi rationem, quam inſtituit SYDENHAM, dici poteſt, licèt huic auctori ſumma obſervantia adhibeatur, tamen praeclarum medicum ferè nullum, quò choream curaret, ejus veſtigiis haeſiſſe. Neque profectò hoc mirum eſt. Talis enim ratio mortem interdum attuliſſe dicitur; et ſaepenumero, debilitatem, quae corpus in choream pronum reddit hancque comitatur, augendo, effecit ut hic morbus inveteraverit.

" Curatio SYDENHAMIANA," ait SAUVAGES, " quoad *phlebotomias*, et *catharſes* nimiùm " repetitas, minimè conducit, ſaltem in pue-

" ris,

" ris, et puellis a me obſervatis, qui ab his " fuiſſent exhauſti."

Etiamſi corpus neque tam magnopere, neque tam ſaepe exinaniendum eſſe, ut cenſuit SYDENHAM, opinemur; tamen in hoc, ut aliis morbis in quibus debilitas et ſpaſmus conſociantur, haud rarò aeger initio plùs minùſve repletus eſt; neque, corpore nondum depleto, medicamentis, ex iis quae ſtimulant et roborant, curari poteſt. Plenitudine autem ſublata, iiſdem manentibus aliis, morbus, ad tempus, interdum interrumpitur *.

Cùm aeger chorea affectus plenus eſt, tum ei, teſtante et CULLEN ipſo, ſanguinis miſſio multùm proficit. Quin et ex aliis compluribus auctorum ſcriptis perlectis apparet, quoties, morbo etiamnum ineunte, adhibitus eſſet medicus, corpus aegri ferè ſemper proſpero eventu aliquo modo nonnihil depletum eſſe.

Ægrum

* Vide Notam D.

Ægrum autem leniter vomere, aut ei alvum leniter reſolvere; plenitudinique obviàm ire exercitio et abſtinentia; plerumque multo, me ſaltem judicante, plùs prodeſt, quàm ſanguinem etiam modicè elicere, quod, niſi opportunè praecaveatur, corpus adhuc plenius reddat*.

Quod ſi priùs inveteraverit morbus, quàm de eo, medico conſulatur, tum quaecunque corpus infirment, ea quàm maximè vitanda ſunt. Quae nunc diximus, ea profectò, ad omnes morbos, qui convulſionibus inſignantur, aequè ferè pertinent.

Alia autem inſuper ſunt mala, quae ex ingenita quadam labe, vel corporis conſtitutione, magna, immo maxima, ex parte pendent, ad quae modò dicta etiam referunt. In podagra nimirum et *aſthmate*, quamdiu aeger adoleſcat, et plenus vigeat, tamdiu utique abſtinendum eſt,

* Vide Notam E.

eſt, et corpus variis exinanitionibus ſanguine nonnihil deplendum. Appropinquante autem vel obrepente ſenectute, cibo valentiore et meraciore potu victitandum eſt; et medicamenta, inſuper, ex iis quae langueſcentes vires leniter inſtimulant, ſubinde aſſumenda.

Choreâ laboranti alio modo proficiant vomitoria et cathartica. Vacuefaciunt enim ventriculum et inteſtina cruditate et ſaburrâ, quibus, viribus alicunde langueſcentibus, tam ſaepe gravantur; quaeque, concoctione indies magis impedita, propter conſortium partium inter ſe, totum corpus gravatum et irritatum habent. Quinetiam vermes in inteſtinis hoſpitantes, et hoſpitis penetralia tetrè foedantes, necatos aut vivos corpore faceſſunt et eliminant. Quapropter, quoties fit, cur alterutrinque effectum eſſe morbum credamus, toties vomitandus eſt aeger et purgitandus. Certiores nos facit Cheyne, integratam

tam identidem vomitionem, medicamentis, ex iis quae corpus firmant et ſtimulant, interjectis, plurimùm, ut ipſe periclitationibus compertus eſt, prodeſſe.

Quam choreae hucuſque tractavimus curationem, ea quantum poſſit, meliùs oſtendi nequit, quàm e medico GERMANICO, praeclaro in primis, ſequentia citando.

" Juvenis ſexdecim annos natus, choreâ la-
" borabat, cum capitis temulentia, ardore
" cum ſenſu preſſionis ad ſcrobiculum, utri-
" uſque *hypochondrii* inflatione, ructibus ſuba-
" cidis, cum nauſea, conatibus vomendi, fe-
" bricula vaga, dolore per laevum brachium
" veluti rheumatico, ac ſenſu urticationis;
" —cui etiam turbatae erant noctes;—lingua
" exiguis puſtulis obſita;—puſtulae etiam in
" facie, alvus difficilis et rara. Sumptis ſol-
" ventibus ſalinis, *emeticum* hauſit: vomuit
" amara;—febricula diſparuit, cum omni mo-
" leſtia praecordiorum;—artus multò quietio-
" res.

" res. Poſt *emeſin eccoprotica* ſumſit, atque
" ita eſt emendatus, ut poſt hebdomadas
" quinque de ſolo ferme ſiniſtri brachii, at-
" que humeri dolore rheumatico querelas
" moveret. Poſito igitur inter ſcapulas *veſi-*
" *cante*, *diaphoreticus* potus exhibebatur; ve-
" rùm die ſequente abſque cauſa manifeſta
" incepit fiere, geſticulari omnibus artubus,
" truncо corporis, capite, muſculis omnibus
" faciei, et multa fatua per vices loqui."

" A gummi ferulaceis pejùs habuit; a
" *camphora* peſſimè. Continuum oris glu-
" ten, et dentium ſordes accuſavit."

" Ab *eccoproticis* ſalinis emendabatur de-
" nuo, non curabatur."

" Ab *extracto* radicis *Belladonnae* vertigo,
" *cephalalgia*, delirium, furor eſt ortus, ut, eo
" ſepoſito, purgare denuo ventrem placuerit
" *Rheo*, et ſalibus mediis cum multo oxyme-
" le *ſquillitico* propinatis. Inde lumbricum
" dejecerit, (plures jam olim repetitim feceſ-

" fiſſe aiebat), et pituitam : alvo mediocri-
" ter, ſed quotidie fluente. Oris gluten ; at-
" que artus, atque omnia reliqua ſic emen-
" data ſunt, ut ſub menſis finem ejuſdem ad
" ſuos ſanus rediverit *."

Altera hujus morbi curatio, quae MEAD placuit, quamque enixè propugnat GREGORY, fere ubique invaluit. Petendum eſt, ut hi auctores cenſent, et omnes equidem quibus cum iis, hac de re, conſentiatur, praeſidium ex iis remediis, quae corporis vires ſtimulant, et roborant ; habita eodem tempore dietae et exercitationis, quae eorum actionem adjuvent, quantâ poſſit maximâ ratione.

Hujus generis remediorum, nunc eſt in animo praeſtantiſſima enumerare, et de nonnullis perpauca etiam dicere ; verùm tamen ea tantummodo perſtringemus, quorum, in hoc

* Vid. STOLL *Ration. Medendi*, tom. iii.

hoc morbo, utilitates longinqui temporis uſu et periclitatione perceptae ſint.

Balneum Frigidum.—Licèt, teſtante MEAD, balneum frigidum choreâ affectis haud parum proficiat; licèt, id quod omnibus quidem notum eſt, ſaepe plurimum, contra ſpaſticos morbos paralyticoſque, poſſit: complures tamen auctores in id deſcendere choreâ laborantes vetuerunt. Ineunte morbo, interdum, ut BISSET videtur, nocet; et CURRY*, qui, aliis ſpaſticis morbis urgentibus, in id deſcendere ſuadet, parum, chorea preſente, prodeſſe prorſus exiſtimat.

Sed haec balnei frigidi aſpernatio, ex inopportuna et intemperata in id deſcenſione eveniſſe, videtur. Siquidem aeger ſit repletus, et ventriculo et inteſtinis laboret; ſi, his etiam

* Vide *Memoirs of the Medical Society of* LONDON, vol. iii.

etiam ſemet bene habentibus, non ſatis diu in id identidem deſcendere perſeveraverit; vel, denique, ſi, quae ad proficiendum ſint neceſſaria, non providerit: nil profectò mirum eſt, ſi vel noceat balneum frigidum, vel ſaltem ſecus opinione medici eveniat.

Exemplum enarrat GREGORY, ubi deſcenſio in balneum frigidum choreâ affectae praeſentaneum levamen, et haud multò pòſt perfectam curationem, attulit. In inveterato unico exemplo, quod curare meum erat, mirum in modum profuit. Ægra, puella anno propè decimo quarto pubeſcens, initio quidem frigidarium extimeſcebat, et ex timore profectò aliquantiſper malè afficiebatur: ſed, brevì pòſt, id minùs exhorreſcere coepit; et, tribus menſibus, per quos ſemet identidem immergere perſeverârat, morbi inveteratione depulſa, ex macilenta, imbecilla et languida, evaſit ſuccida, roſea, vegeta et alacris.

Quò balneum frigidum proſit, ne repleti

corporis

corporis ſit aeger, et inteſtina laborent, providere antè et praecavere medicos oportet. Quinetiam proſpiciendum eſt, ne, dum in balneum frigidum deſcendatur, compreſſa ſit alvus. Denique, illico poſt aſcenſionem e balneo, corpus, ne frigore torpeſcat, vehementer infricandum eſt; pannis laneis tepefactis involvendum; vel, ſi ſufferre poſſint vires, exercitandum.

Quicunque certior, de hiſtoria et effectibus balnei frigidi, fieri velit, is Ψυχρολουσίαν FLOYER, equitis, LICHFIELDIENSIS, perlegat.

Balneae tepidae naturales *.

Fulmen Electricum.—Hoc, fortaſſe, ſtimulus ſimpliciſſimus efficaciſſimuſque eſt qui in rerum

* Vid. *Diſſertation on the* BATH *Waters, by Dr.* FALCONER *of* BATH.

Etiam CHEYNE *on Gout.*

rum natura exiſtit. Hoc ei proprium eſt, quòd dictis citiùs corpus pervadit, et, interveniente nullo, ipſis fibris quarum eſt ſentire, et corpus movere, applicatur.

Praeciſè inſuper aeſtimari poteſt, quantùm polleat; ita ut, quanto ſtimulo opus ſit, tantum admovere poſſimus.

In chorea, in qua tantummodo opus eſt, ut leniter incitetur aeger, ex corpore ſcintillulas elicere, vel, quoties ſaepius icendum ſit corpus, ictus leniores eſſe, et ſubinde ingeminari, oportet. Fortaſſe operae pretium eſſet, providere, ut hi fulminei quaſi ictus non ſolùm per partes affectas, ſed etiam per medullam ſpinalem, a vertebris cervicis ad eas uſque oſſis ſacri, dirigerentur. Hoc enim facto, nervi et in origine incitarentur, et in extremis etiam ſurculis.

Prodeſſe hoc potuiſſe primò mihi in mentem venit, ex obſervando, quantùm, inferioribus membris rheumatiſmo *atonico* laborantibus,

tibus, proficerent veſicatoria, eodem tempore oſſi ſacro, et exteriori alterutri cruri, praecipiente RUTHERFORD, valetudinarii regii EDINENSIS medico, ſuperimpoſita *.

Complura poſteris tradidit DE HAEN exempla, digna quae in memoria teneantur, ubi fulmen *electricum*, cautè et ſubinde admotum, curationem, plerumque ſex propè hebdomadis, abſolverit.

Belladonna †.

Aſa foetida ‡.

Camphora §.

Valeriana Sylveſtris ‖.

Flores

* Vid. etiam *Comment. Societ.* HAARLEMENS. tom. xii.

† STOLL *Rat. Med.* tom. iii. pag. 403.

‡ *Journal de Medicine.* Aout 1781.

§ DUNCAN'S *Medical Commentaries*, vol. ii. dec. 3.

‖ HOME'S *Clinical Experiments*, &c.

Flores Cardaminis Pratenſis *.

Cortex Peruvianus †.

Cuprum Ammoniacum ‡.

Flores Zinci §.

Et denique, obſervari poteſt, quo modo interrumpendas convulſiones ſuadet PARRY, medicus BATHONIENSIS, eum, quamquam affabrè utique excogitatus ſit, tamen, ob cauſas ſatis evidentes, choreâ afflictis parum prodeſſe; niſi, forſan, occaſione oblata, convulſiones, ſanguine majore quantitate in caput derivato, ingraveſcant. Hoc ſi accidat, arterias *carotides* comprimere, nonnihil fortaſſe proficiat ‖.

NOTÆ.

* Vid. *Medical Tranſactions by the College of Phyſicians in* LONDON, vol. i. p. 448.

† CULLEN'S *Materia Medica*, vol. ii. article, *Cortex Peruv.*

‡ *Medical Commentaries*, vol. x. decad 1.

§ *Memoirs of the Medical Society of* LONDON, vol. iii.

‖ *Memoirs of the Medical Society of* LONDON, vol. iii.

NOTÆ.

A.

" SCELOTYRBE, quaſi cruris turba, et " perturbatio; ſpecies eſt reſolutionis, quâ " erectus ambulare homo non poteſt, et la- " tus quandoque rectum in ſiniſtrum, quan- " doque ſiniſtrum in dextrum, vel viciſſim " circumfert; interdum quoque pedem non " attollit, ſed attrahit, velut ii qui magnos " clivos aſcendunt."

Vid. GALENI *Iſagog.* lib. finem verſus.

B.

" *Vitiſta* a S. Vito nomen traxerit, qui " plagae, et poenae loco hunc hominibus " morbum immittat: aut quod Viti vice " ipſe Deus, propter hominum peccata, ma- " lum hoc infligat."

A. P. T. Paracelsi *Opera*, fol. pag. 578.

" Cauſa *choreae laſcivae* aeſtimatio tan- " tum, ac praeconcepta imaginatio exiſtit, " quae operatur in eo, qui ſe talem cenſet, " ac judicat, ſibique adeo ipſi hujuſmodi " quaedam imaginatur."

Vid. *ejuſd. lib.* pag. 568.

Tremor

C.

Tremor a SAUVAGES definitur hiſce verbis, " Artûs alterna, per itus et reditus frequen- " tes, motitatio, cum movendi facultate con- " currens."

Vid. SAUVAG. *Gen. Morb.* claſs. iv. ord. iii. gen. vi.

Tremores et convulſiones ſaepenumerò diverſas partes corporis eodem tempore afficiunt, et eandem demum partem deinceps: quapropter definitione internoſcere, vel certis finibus circumſcribere, apprimè difficile eſt.

Nobis talia animo volutantibus dicere fortaſſe liceat, tremores *tonicis* muſculorum contractionibus, ad tempus ceſſantibus, effici; et tales

tales contractiones, debilitati, quae, quò minùs ſint, quales in ſecunda valetudine, conſtantes, impedit, attribuendas eſſe: convulſiones, contrà, eſſe involuntarias muſculorum, qui voluntati parere ſolent, contractiones, iis multo validiores, quae ſalutarem fibrarum motricum vigorem indicant, ſed brevì ceſſantes.

D.

Hinc ſanguinis miſſio, inter medicamènta quae ſpaſmum ſolvant, a peritiſſimo HOME* rectè enumeratur. Obſervatu dignum eſt, pleraque *Hyſteriae* exempla, in quibus ſanguinem detrahendum curavit is auctor, fuiſſe mulierum, quibus menſes ſuppreſſi fuiſſent.

Quo

* Vid. *Clinical Experiments*, &c.

E.

Quo modo, ne plenum fiat corpus, commodiſſimè efficaciſſimeque praecaveatur, ex iis quae de podagra, et *apoplexia* CULLEN diſſeruit, diſci poteſt.

FINIS.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

Oculo Humano eiusque Amaurosi